UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IX. Quæ sit pœna mulieris insidiantis vitæ mariti sui, si inde homicidium fit secutum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61641

Visual Library

mum fiat Sacramentum, per baptiſmum, ab illis ſuſceptum, quamvis nullus novus expreſſus conſenſus in hoc Sacramentum interveniat.

Secundò habemus ex *cit. c. Gaudemus.* quòd infideles ad fidem converſi, ſi plures priùs in ſua infidelitate habuerint uxores, primæ adhærere debeant, dimiſſis aliis, quia nulli unquam licuit plures ſimul habere uxores, niſi, cui divinâ revelatione hoc fuit conceſſum, prout in antiqua lege conceſſum legimus Patriarchis.

Tertiò habemus ex *eodem c. Gaudemus.* quòd Paganus, ſi repudiatâ ſuâ uxore, ad fidem converſus aliam duxerit, cùm tamen illa ad fidem etiam converſa maritum ſequatur, repudiatam talem in infidelitate uxorem recipere debeat in matrimonij conſortem, & ab illa, quam poſt repudiatam primam duxerat, recedere, etiamſi hæc repudiata cum alio jam contraxiſſet, cùm enim hoc legis Evangelicæ tempore libellum repudij dare nulli ex lege Divina conceſſum ſit, conſequenter nulla fuit repudiatio illa, ſed vinculum legitimè contracti matrimonij indiſſolutum permanebat, ergo ſi ad fidem utraque pars convertatur, ad ſe invicem, ut veri conjuges redire debent, non obſtante, quòd in infidelitate alia matrimonia contraxerint, quæ ob vinculum prioris matrimonij nondum diſſolutum, nulla fuerunt.

§. VIII.

An Eccleſia diſpenſare poſſit, ut infideles converſi ad fidem contrahere poſſint matrimonium cum relicta uxore fratris ſui defuncti?

PRohibetur quidem à Pontifice in *c. Deus qui 9. h. t.* ut ne tales deinceps, poſtquam fidem Chriſtianam ſuſceperunt, ſibi matrimonialiter copulentur; quodſi tamen in infidelitate adhuc poſiti talia matrimonia cum relictis fratrum ſuorum uxoribus contraxerunt, non prohibet illos manere in ſuo conjugio, & hoc uti, ſi tamen fratres illi ſine prole ex tali conjuge deceſſerint, id, quod juxta legem Moſaicam antiqui teſtamenti Judæis licebat, ad hos etiam extendente Eccleſiâ.

§. IX.

Quæ ſit pœna mulieris inſidiantis vitæ mariti ſui, ſi inde homicidium ſit ſecutum.

EX dictis, & ex *c. ſi qua 1. h. t.* jam patet, quòd mulier tali crimine in pœnam commiſſi viricidij omni ſpe matrimonij contrahendi poſt mortem ſui mariti, ita ut non tantùm uxoricidium, ſed etiam viricidium impedimentum impediens, de antiquo jure ſit, hodierna tamen conſuetudo non obſervat hoc impedimentum impediens, modò non interveniat impedimentum criminis dirimens matrimonium cum illo, qui in necem innocentis Mariti cum conjuge machinatus eſt.

§. X.